

est, ut omnes, qui acciderunt hominibus umquam aut accidunt aut  
accident, varices tumore animi superarit. Non enim tantum in pedes  
insurgere illi soliti sunt, quantum ipse in veritatem. Sed non est huius  
temporis, unde facta sint haec omnia, quaerere. Non enim in Cagem B 40<sup>v</sup>  
5 nec in complices suos invectivas conscribimus, sed iniuriam a nobis  
propulsamus, quod omnibus licet, et Aristotelem ac veritatem simul  
defendimus.

Sed quintae quoque particulae XXXI. consideremus, ubi quaerit 29, 1  
Aristoteles: »Quare qui phthisim patiuntur et lassi labore, praeparati  
10 ad pollutionem in somno sunt?« At Cages: »Cur, inquit, genitura in  
sommis iis profluere solet, qui aut a labore lassescunt aut tabe consumun- G 36<sup>v</sup>  
tur?« Non intelligo equidem, quomodo genitura profluere lassis soleat.  
Genituram enim sic dici latine scio, ut naturam, ut feturam, ut, si  
quis ita vult, generaturam. Sed a rebus ipsis coniicio pro spermate  
15 hominis ipsum genituram cepisse. Sit sane Latinis lex, aut potius iis  
solum, quibus scripta Cagis latina videntur, quicquid Cages egresserit.  
Profluere vero solitam esse genituram cur dixit? Longe namque aliud  
hoc est, quam esse ad pollutionem praeparatos. Non enim semper a  
praeparato solet profluere. Nam quis nescit praeparatos nos esse ad  
20 multa saepe, quae nobis non accidunt?

Magni ab omnibus ingenii Aristoteles fuisse iudicatus est, multos- 2  
que praeclaros viros scripta eius a natura ipsa dictitata putasse memoriae  
proditum est. Hanc laudem illud potissimum et comparavit, quod  
cautissime, hoc est proprie vereque adeo loquatur, ut non nisi natura B 41  
25 ipsa de naturalibus loqui rebus videatur. De quacumque re scribit,  
verbis protinus ipsis percipitur. Actumne, an potentia rem putet esse,  
qua de loquitur, utrum in genere, an in parte proferat, habeatur per se,  
an per accidens, non latet. Primumne ut sit, an non, perspicitur. Nihilque  
penitus, quod ad rem recte intelligendam pertinet, praetermittitur sicut  
30 hic. »Quare, inquit, lassi«, et quoniam lassitudo multis accidere modis  
soleat, »labore« addidit. »Quareque, inquit, lassi labore homines prae-  
parati ad pollutionem in somno sunt?«

Cages autem quasi philosophiam et gloriam eius e memoria homi- 3  
num evellere velit, nullo ipsum sequitur pacto, sed cuncta confuse, G 37  
35 indistincte ac in alium redacta sensum pervertit. Nam primum hic  
praeparationem hanc omnino abolevit. Deinde pollutionis verbo reiecto  
»cur genitura, inquit, profluere solet«, et sic a pollutione ad seminis  
profluentiam rem penitus diversam sensum transtulit. Nam pollutio  
est seminis in momento temporis per saltum exitus summa cum volup-  
40 tate atque tentigine sola coitus imaginatione. Profluentia vero seminis

9 phthisim B phtisim G | 27 habeatur G habetur B | 35 sensum G sensuum B

8 Arist. Probl. ε' 31. 884 a, 6 sq. Διὰ τί ἐξονειρωκτικοί εἰσιν οἱ κοπιῶντες καὶ  
φθισιῶντες; | 10 Theod. Probl. V 31. 428 b.

est ipsius seminis exitus longiore fluentis tempore absque saltu, absque  
 B 41<sup>v</sup> tentigine, absque ulla omnino voluptate nec per coitum nec per cogi-  
 tationem coitus. Haec quam diversa sint, quis praeter Cagem et lau-  
 datores eius non viderit?

4 Sic traducendus Aristoteles est, o boni viri vos, ne puerorum seduc- 5  
 tores appellem! Tantane vobis fanatica ex puerorum seductione con-  
 fidentia adoluit, ut viros quoque ad ineptum intelligendarum rerum  
 sensum seducere atque transferre credideritis? Cur hanc naturae pug-  
 nam indixistis? Cur eam omni studio persequimini? Cur non sinitis,  
 quantum in vobis est, rectis secreta ipsius traductionibus intelligi? 10  
 Atqui vos et naturae homines estis. Ipsa enim vos parentibus vestris  
 quasi organis usa genuit? Quare ad similes actus ipsi praebere vos debe-  
 tis? Cur eam distrahitis? Cur violatis? Cur in tenebras ignorantiae  
 intruditis?

30, 1 Prosequamur cetera in hoc problemate Cagis vitia. Non omnia; 15  
 nemini enim ea vis dicendi, nemini sic longa vivendi spatia, id flumen  
 G 37<sup>v</sup> ingenii dari mea quidem sententia potest, ut omnes sicarii traductionum  
 ineptias recensere possit. Plures namque in eis fere sunt quam syllabae.  
 Non extollo rem, sed iudicium expono meum. Iurare persancte possum  
 plura me in volumine problematum intollerabilia esse Cagis conicere 20  
 B 42 vitia, quam verba sunt. Nam verbis nonnumquam singulis vitia multa  
 insunt, verbaque omnia sunt a rebus remotissima, quae prosequi om-  
 nino infinitum est.

2 Opus enim est verborum antea vim omnem explanare, deinde  
 videre, quid Cages in singulis interpretatur, — verum ut, quale id sit, 25  
 intelligatur, non gravabimur — etiam ad ipsorum Caguleorum erudi-  
 tionem verbum unum, quale sit et quomodo rebus ab ipso accommoda-  
 tur, considerare. Lassescunt inchoandi verbum est. Haec verba non  
 incipiendi solum potestatem habent, nec vehementiam tantum signi-  
 ficant. Sed, cum utrumque modo habent quodam, plerique alterius eis 30  
 attribuentes falluntur. Intendi enim rem eam, quae significatur, osten-  
 dunt. Nihil porro intenditur, quod non inceperit. Hinc fit, ut principium  
 quoque rei ostendere videantur. Nam cum intentio progressus sit ad  
 maiora, necesse est, ut principium incrementi aliquid capias. Aliter  
 enim ne intelligi quidem incrementum potest atque progressus. Declarat 35  
 id Mercurius apud Plautum in Alcumena. Nam cum Iovem abeundi  
 esse tempus moneret: »Lucescit«, inquit. Et paulo post: »Lucescit. Eamus  
 G 38 hinc«. Deinde lucescit. Et parvo temporis lapso intervallo rursus inquit:  
 »Lucescit«. Ita ostendit a prima posse aurora usque ad ortum solis hoc  
 B 42<sup>v</sup> verbum dici. Intenditur enim semper lux oriente vero iam sole. Nemo 40  
 recte dicet lucescit, sed lucem iam esse absolute aut iam illuxisse. Id

18 syllabae G sillabae B | 19 extollo G estollo B | 33 intentio G intensio B

37 Plaut. Amph. 543.

ipsum usus etiam auctorum frequens declarat. Non enim nisi a verbis, quorum potestas, id est res significata, intendi natura potest, haec ab eis verba derivantur. Calor, frigus, fames, albedo, tremor, lassitudo, amor, macredo, gracilitas incrementum recipiunt. Quamobrem recte  
5 dicitur gracilisco, macresco, amasco, lassesco, tremisco, albescio, famesco, frigesco, calesco. At legere, audire, manere, accipere, tenere, armare, censere, possidere intendi natura nequeunt. Ideo forma carent inchoandi, quae rem illam significat, quam repugnante natura minime suscipiunt. Haec de inchoandi verborum forma praelibasse satis sit.

10 Nunc videamus, quam longe a rebus, de quibus tractatur, lasescendi abest verbi potestas. Nemo est, qui nesciat asinos, mulos, equos, si requiescere a lassitudine laboreque incipiant, confestim erigere. Id hominibus quoque accidit. Quare cum ad somnum prolabimur propter liquefactionem et motum, sicut philosophus ait, — longum enim est  
15 omnia latius enodare — phantasmatis motis accedit ad tentiginem coeundi imaginatio, qua fit, ut sperma magno impetu et voluptate prosiliat. Id accidere lasescentibus minime potest. Illi enim lasescunt  
labore, in quibus labor et lassitudo adhuc et continuatur et crescit, Quorum alterum praesens in verbis possidet tempus, alterum inchoandi  
20 forma necessario retinet. Cages si hoc nescit, cur philosophum non sequitur? Cur, quod ille praeterito, iste praesenti verbo expressit? Deinde, quomodo labor et lassitudo continue in somnis crescit? Cur enim ait: qui labore lasescunt in somnis? Si adhuc laborantes lasescunt, non dormiunt. Sin dormiunt, non lasescunt, sed requiescunt. Deinde,  
25 si lasescunt, quomodo erigunt? Id enim quieti, quae labore succedit, non ipsi labori evenire solere periculum et in nobis et in brutis quotidie facimus. Quodsi non erigunt, quomodo ex ipsis semen cum voluptate prosilit? Sed si profluentiam seminis, quae sine voluptate atque tentigine fit, intelligit, sciat eam in somnis quidem forte magis, in vigilia  
30 vero non rarius accidere. Adde, quod verbo graeco seminis eruptio, quae per somnium fit, significatur.

Sed quid facio? Facilius mihi erit arenam maris, caelorum stellas, frondes arborum quam ineptias Cagis enumerare, quae aut in compositione verborum aut in collatione rerum aut in singulis verbis rebusque  
35 singulis aut in accommodatione verborum ad pondera rerum turpiter ab eo atque ignominiose committuntur. Verba semper nova quaerit, B 43<sup>v</sup> contemnit trita, subtrahit, addit, mutat, pervertit, confunditque omnia, quod unico solum declarare verbo sat erit. G 39

Passionem membrorum, quam sicco frigore fieri philosophus testatur, siderationem vocat. Verbum inauditum, fictum. Unde nescio, nisi forte a duro ferreo insensatoque corde fingentis. Id scio eam passionem certissimo latine verbo rigorem appellari. Quis non legit apud historicos saepius rigentibus membris nequivisse milites arma capere? Quis non

B 43  
G 38<sup>v</sup>

G 39

audivit illud Vergilii: »deriguit visu in medio, calor ossa reliquit?« Quis clementiam Alexandri apud Quintum Curtium non admiratus est, cum frigore paene confectum militem in sua sede collocasset? At ibi et rigore, quod huius rei proprium verbum est, et communius stupere et torpere membra frigore dicuntur. Cages vero ubi siderationem didicerit, 5 nescio. Ubi reperit, non invenio, nisi forte ab erucis herbarumque vermibus acceperit. Namque vel apud alios integra inveniuntur. Integra dico, quoniam ipse mutilata semper aut producta et quasi protensa vel transformata plerumque ponit. Quae igitur ab aliis integra sumuntur, ea longe in alium sensum ab ipso rapiuntur. 10

6 Celsus tubercula solus nominavit, quae Graeci condylomata dicunt. B 44 Quo verbo multi Latinorum usi sunt. Qui de verbis scribunt, condylomata esse asserunt quasi glandulas, quae sub cute duro humore collecto sustolluntur. Id Cornelius quoque in cura ostendit, cum excidenda esse G 39<sup>v</sup> tubercula radicitus consulat. At Cages spreto auctore, unde id vocabulum 15 mutuatus est, pro omni tumore ac ulceribus ipsis plerumque capit. Nam ulcera, quae in corpore colliguntur propter sudores extollunturque passim, ea etiam tubercula nominat. Quae tamen exulcerari Aristotelem, in hoc secutus vel invitus asserit. Ulcera ergo esse coactus fatetur illa, de quibus philosopho sermo est. Nec enim exulcerari nisi ulcera recte 20 dixeris. Tubercula vero, id est glandulae, aut numquam aut raro exulcerari solent. Cur ergo tubercula, id est glandulas, pro ulceribus posuit? Cur? Quia omnia per ignorantiam permiscet atque conturbat.

7 Multa huiusmodi sunt sicut exsitare pro comedere, refrigerare pro frigefacere, haesitas pro balbutie, igne confectum, quod assum est, 25 colis pro mentula, stirpes pro arbustis, pro herbis, pro arboribus pro plantis denique omnibus, quae apud ipsum vitam etiam agere quasi homines dicuntur. Bima, trima, lenticitas, lentores, amula, plautra B 44<sup>v</sup> multaque alia eructat mira vel dira potius, virus pro spermate vel, ut ipse plerumque dicit, genitura. Sic imperitus est, ut ipsum, sicuti credo, 30 illud Vergilianum seduxerit: »distillat ab inguine virus«. Quo verbo poëta ille venenosam rei vim ante oculos ponere voluit. Sed de his hactenus.

8 Cetera quattuor de quinque membris clara sunt. Nam et verba raro verbis apte adhaerent, et res rebus plerumque repugnant, et sin- 35 gulae in se ipsas vacillant, ut plurimum atque distrahuntur. Nec rebus umquam paene verba congruunt, sed alio vis rerum, alio verborum potestas animum distrahit. Haec omnia ideo Caguleis eveniunt, quia G 40 philosophum nec intelligunt nec saltem verba eius sequi dignum arbi-

1 deriguit *scripsi sec. edit.* dirriguit G B | visu *sec. edit.* visum G B | 24 exsitare *scripsi* (συτέω)] exitare G B | 26 colis *scripsi* colem G B

1 Verg. Aen. III 308. | 11 Cels. Med. VII 2. 6 (*ed. Richter-Albers* 253, 13. 254, 36). | 31 Verg. Georg. III 281.

trantur. Quod si vel intelligenti <pate>facere necesse est, — fit enim saepius tum propter brevitatem, tum propter rerum difficultatem, tum propter verborum varias potestates atque multiplices, ut sensus multiplex esse videatur — multo quidem magis ignoranti ac stulto.

5 Sed dicendi hunc cursum iam retineamus et aliquando finem non 31, 1  
Caguleis ineptiis, quippe quae nullum habeant, sed nobis ipsis imponamus. Satis iam superque omnia ex his, quae dicta sunt, Cagis vitia  
perspici posse confido, praesertim si quis diligentius ad traductionem  
nostram aut etiam ad veterem conferat suam. Nam quemadmodum  
10 si ex male materiato aedificio lapidem unum subtraxeris, omnia illico  
magno cum fragore deferuntur, ita si unum aliquid ex translationibus B 45  
Cagis ad collationem revoces examenque cogas subire, universa protinus  
videbis corruere. Id ille metuens et quidem vehementer formidans —  
malitiosa enim stultitia est — his verbis ab omni traductionum colla-  
15 tione atque examine legentes statim sic praefando deterret: »Tamen  
errores et sordes istorum interpretum adhuc legis atque defenditis,  
qui tanti mali causam dederunt. Non in ignem proiicitis, nonnulla  
potiusque eiusmodi habere exempla vultis? Cuius mali tam magni  
causam prisca Aristotelis traductores dederunt?« O pessime omnium!  
20 Tu has reddis gratias illis, propter quos philosophia multo magis  
apud Latinos floruit — nec adhuc penitus extincta est — quam umquam  
apud Graecos.

Si nihil illi traduxissent, essent Alberti, essent Scoti, essent Aegidii, 2  
esset Thomas, essent alii quam plures aut in philosophia aut in theologia G 40<sup>v</sup>  
25 aut in medicina praeclarissimi viri, quorum scriptis naturae secreta,  
theologiae profunditas, medicinae varia, multiplex subtilisque ratio,  
quae ante illas traductiones omnia iacebant in tenebris, hominibus  
patuerunt? Cuius Graecorum scripta sic copiose diffunduntur, sic acute  
absolvuntur, sic dilucide proferuntur sicut Alberti, qui hac ipsa de re  
30 Magni solus cognomen sibi comparavit? Armis id multo antea Philippi B 45<sup>v</sup>  
Alexander obtinuit, deinde Gnaeus Pompeius non magis armis quam  
Romanorum gratia, postremo vita, moribus omnique catholicae reli-  
gionis sanctimonia Basilius, Caesariensis episcopus, cognitione atque  
scientia rerum. Nemo adhuc praeter Albertum id cognomen assecutus  
35 est. Tolle interpretationes, quae ante nos fuerunt, nullus erit Albertus.  
Quis vel in theologia ordinatius copiosiusque vel super Aristotelem  
brevius, distinctius, dilucidius graece umquam scripsit, quam Thomas  
latine? Finge nullas ante nos interpretationes Aristotelis fuisse, ubi  
tibi essent scripta, praecepta, inventa Thomae? Ubi ceterorum, ne  
40 longior sim, volumina rebus copiosa, numero paene infinita, scientia  
naturae manu scripta, ore prolata, corde cogitata inventaque? Harum

29 dilucide] dillucide G B | 31 Pompeius] Pompeus G B | 37 dilucidius] dillucidius G B

15 Theod. Probl. Praef.

rerum omnium causam priores dederunt interpretes, o Cagulei. Has res tam grandes, tam utiles, tam gloriosas nisi doleretis Latinis per interpretamenta veterum exstitisse, non exclamaretis melius fuisse nulla  
 G 41 quam huiusmodi exempla ipsos habuisse. Nam nisi habuissent, nihil profecto scissent. Hac de causa ergo doletis, cruciamini, ferre non potestis, sed dicitis, scribitis, praedicatis: o utinam nulla philosophiae Latini habuissent exempla! Quia non videtis ipsos in magnas ignorantiae  
 B 46 tenebras et execrabilem servitutis calamitatem veluti genus nostrum ruisse.

Non ignoro equidem et Cagem et omnes Graecos, qui sua opinione  
 8 vel ultra caelos elati pluris se faciunt ceteris simul omnibus, nimium angustis stimulusque tum invidiae, tum ingratitude cruciari, quod Latinos videant doctrina rerum, magnis civitatibus, armis, divitiis, dignitate auctoritateque plurimum valere. Certiorque sum, si possent, omnia haec in peius versuros, quam modo res Graecorum radicitus a Turcis  
 15 eversae iacent. Id non dicerem, nisi Cages scriptis suis praedicaret. Nec enim tantum potuit in Latinos furorem retinere. Exclamat melius esse nulla philosophiae habere quam eiusmodi exempla, cuiusmodi ad hos dies a priscis edita sunt. Aegre fert, quia non citius in ignem interpretamenta priscorum proiciuntur. At his tunc sublatis scientia omnis  
 20 tollitur. Alia enim non erant. Et hoc est, quod optat. «Melius erat, inquit, nihil habere quam huiusmodi habere.» Scientia vero sublata cetera quoque propter ignorantiam facile vacillabunt. Quare si, quantum in eo est, cognitionem rerum a Latinis subripit, non est dubium,  
 G 41<sup>v</sup> quin potentiam etiam, si posset, alio derivaret. Cur autem ausus est  
 25 tantam rem tam aperte scribere? An acerrimos odii atque invidiae stimulos celare non potuit? Credo, quia stultus est. An eversurum  
 B 46<sup>v</sup> omnia se posse sperat, quod aliquem nancisci ex levitate sperat, qui possit? Non est meum id quaerere. Coniiciant, quorum interest.

«Nullas malas traductiones <melius> quam priscas» Latinos hortatur. 30 Estne inter nullum et aliquid proportio? Melius est nihil habere, inquit, quam malum aliquod habere. Suntne malae translationes et ipso nihilo peiores, quae tot praestantes philosophos, tot theologos sanctos, tot excellentes medicos pepererunt? Sed omni carent, inquires, ornamento. Quid tu verborum ornamentum dicendique crepitus rebus anteponis? 35  
 «Philosophus, inquit Cicero, si affert eloquentiam, non aspernor. Si non affert, non requiro. Re mihi satisfaciat.» Quantum porro iuniores rerum scriptores satisfecerunt, res ipsa, ut diximus, clamat, et nos oculis ipsis cernimus. Non vix singulos in singulis regionibus tollerandos

2 grandes G grandis B | 30 malas G male B | priscas B priscos G | 33 praestantes G praestantis B | 34 excellentes G excellentis B

21 Theod. Probl. Praef. | 36 Cic. De fin. I 15.

philosophos, ut olim in Graecia, sed singulas urbes, immo castella singulosque religiosorum hominum conventus dialecticis, philosophis, theologis nulla in re priscae Graeciae cedentibus referto. Illud quoque in tertio de finibus a Cicerone scriptum adversus te militat. »Omne, 5 inquit, quod de re bona dilucide dicitur, mihi praeclare dici videtur. Istiusmodi autem res dicere ornate velle puerile est. Plane vero et perspicue expedire posse docti et intelligentis viri.« Audisti? Si in philosophia morali puerile est ornatui verborum nimio invigilare, quid G 42 puerilius erit, addo, et turpius, quam in naturali hoc ipsum magis quam B 47 10 res insectari? Quodsi puerile hoc Ciceroni videtur, quis qualisque Cages videri debet, qui et res omnes pervertit et verborum non elegantem ornatum aut omnino latinum, sed turpem quandam inconditam, duram, obscuram a communi usu longe remotam, hispidam denique atque agrestem compositionem et Carmentalem singulorum potestatem in- 15 auditamque semper fere inquit? Sed in rhetoricis quoque, statim in principio, quid hac de re sentiat, operae pretium est Ciceronem audire. Sapientiam sane coniunctam eloquentiae in caelum laudibus extollit. Si alterum optandum sit, rerum scientiam amplectitur et quasi divinam colit. Eloquentiam, id est ornatum verborum a sapientia seiunctum, 20 quasi turpissimam stultitiam contemnit atque aspernatur.

Id certe meum ad hunc transferendi laborem animum induxit. 5 Et politiores enim in dicendo legendis meis futuros homines puto et rebus ipsis maiorem me attulisse lucem multis rationibus existimo. Quae si assequar, omnipotenti Domino nostro Iesu Christo laus sit, 25 qui non, ut sordes peccatorum meorum merentur, in tenebris me latere voluit, sed gratiae suae mihi plus, quam ferre queam, largitus est. Sin vero non assequar, non dubito, quin laboris huius mei, quo nemini B 47<sup>v</sup> obesse, omnibus prodesse conor, et praemium apud iustissimum iudicem mihi depositum sit, et non nihil tum apud praesentes, tum maxime 30 apud posteros sepulta iam invidia laudis atque gloriae, praesertim G 42<sup>v</sup> cum nusquam a communi usu dicendi, quoad eius fieri potuit, diverterim illudque Ciceronis semper ante oculos habuerim, quod re ipsa Cages aspernatur atque contemnit. »Vitium, inquit, maximum est in dicendo a vulgari genere orationis atque consuetudine communis sensus 35 abhorrere.«

Haec ille oratori consulit, libros ad fratrem statim incipiens. Tu 6 autem, o Cages, tu Cages philosophiam, quae, quantum fieri potest, communioribus tradenda vocabulis est, ne ad rerum difficultatem verborum quoque durities addita tenebris omnia ignorantiae obscuret, ad

5 dilucide] dillucide GB | 22 politiores] polliciores GB | 27 nemini G nomine B

4 Cic. De fin. III 19. | 17 cf. Cic. De invent. I 1. | 33 Cic. De orat. I 12.

Mohler, Kardinal Bessarion. III.

Carmentae tempora enim nova, ad barbariem ipsam revocare conatus laudem etiam hac ex re petis et in priscos interpretes quasi dignos igne insultas et studiosos philosophiae universos, quia non citius in ignem libros illorum proiiciunt, ut ignorantes atque fatuos insectaris! O superbiam hominis inauditam, o impudentiam singularem, o monstrum 5 hominis numquam perspectum! In ignem, in ignem tu eos libros, qui tot tantosque philosophos theologosque pepererunt, ut enumerari vix queant, in ignem, inquam, tu priscorum scripta proiicienda consulis, B 48 hortaris, impellis? Et non verbis, quotidie ut audio, quam scriptis clamas, contendis, garris? Cur? Ut tua laudatorumque tuorum scripta, 10 nugae, ineptiae perpetuo maneant? Amens penitus es, si hoc speras.

7 Sed ad rem redeamus. Quoniam malitiosa, ut diximus, stultitia G 43 est, ne collatio traductionum ignorantiam prodat, primum interpretes eiici priscos ab eo suadetur. Deinde philosophi ordinem non sequitur, sed perturbat transfertque omnia alia alio, quod non collationis solum 15 facilitatem tollit, sed multo magis facit, ut problematum philosophi scientia penitus pereat. Multa enim propter brevitatem et rerum naturam obscuriora sunt. Qua de causa et qui non intelligunt, commentorum luce, et qui recte se intelligere arbitrantur, exponentium auctoritate confirmari cupiunt. Qui autem scripserunt, Aristotelis 20 ordinem, non Cagis secuti sunt. Quare qui Cagem legit, is numquam commentis iuvari, numquam auctoritate commentatorum confirmari poterit. Praeterea multi particulas, sicut ab Aristotele positae sunt, ut brevius rem suam peragant, numero nominare solent. Legi equidem apud Albertum, legi apud Thomam ita verbi gratia dici, sicut in tertia 25 vel sicut in XX. vel XXX. problematum particula dicitur. Solent sane, ut debent, studiosi nominatam numero particulam protinus quaerere, B 48<sup>v</sup> ut absolutam rei totius cognitionem consequantur. Cages commiscet transponitque omnia sic, ut plus laboris mihi videatur unum vel alterum in libris suis problema invenire, quam totum volumen exarare. Non 30 enim ordinem solum particularum permutat, ut quintam verbi causa G 43<sup>v</sup> faciat nonam, et nonam vigesimam, sed nonnullas etiam, quae quoniam prolixiores apud philosophum sunt, in plures dividi propter magnitudinem solam possunt, in duas vel tres partes dilaceravit easque partes non ordine aliam post aliam collocavit, sed aut longe aliam 35 ab alia distraxit aut aliis brevioribus coniunxit. Ita et locos earum certos mutavit et integritatem contaminavit. Hunc confundendi non parvum laborem, non video, cur suscepit, nisi stultitia, malitia, perfidia. Nam sicut stultitia malitiosa est, ita malitia perfidiosa. Malitia igitur credo ipsum fecisse, ut ignorantiam tegere suam possit, perfidia, 40

18 commentorum G comentorum B | 19 luce G lucem B | 20 auctoritate G auctoritatem B | 22 commentis G comentis B | commentatorum G comentatorum B



ut pro virili partem faciat, ne quid boni, si fieri possit, Latini habeant. Sed haec ita nobis dicta sint.

Verum etsi multis amentia iam patuit sua, placet tamen unam **32, 1** solum repugnantiam ex praefatione transcribere sua, quae manifestior  
**5** ceteris existit ac eminet, ut, quam ingeniosus doctusque sit, etiam hinc percipiatur. Pugnantia enim dicere fatui omnino esse hominis iudicatur, praesertim si brevi in oratiuncula alterum ab altero impeditur, et **B 49** utraque inter se irretita corrunt. Cum horum temporum philosophos redarguat, quod minus ornate ac eleganter disserant, sic inter alia in  
**10** eos invehitur: »Neque enim ego rebus eos minus callere ob id iudico, quia non veterum litterarum verbis disceptant, sed fieri non posse existimo, ut Aristotelis documenta per tantam proprietatem et pravitatem verborum interpretis intelligantur.« Praeterimus hic, quam turpe sit ea in re maxime peccare, quam omni studio reprehendas, et tunc **G 44**  
**15** maxime in crimine inveniri, quando ceteros eodem crimine damnas. Nam quod dicit: »veterum litterarum verbis disceptant«, nec quae sint veterum litterarum verba, proprie loquens poterit ostendere, nec disceptare verbum pro disputare de rebus naturalibus latine umquam dictum est. Quo igitur crimine alios arguit, eo se ipsum astringi pro  
**20** ignorantia et amentia non sentit.

Id quamvis intolerabile sit, — quis enim ferret hominem ea carpen-  
**2** tem aliorum vitia, quae in se ipso multo magis inveniuntur — tamen sibi veluti puero condonetur. Sed repugnantia ingenii Cagulei paucissimis in verbis perspiciatis, ut etiam hinc, quanta rerum doctrina laudatores  
**25** sui fulgeant, merito admirari possitis. »Ego enim, inquit, non ob id minus callere iuniores philosophos rebus iudico, quia non veterum litterarum disputant verbis.« Id enim sibi ex media barbarie repetita **B 49<sup>v</sup>** illa verba significant. Habetur ergo iam secundum Cagem, quod quamvis non recte verbis utantur iuniores philosophi, rebus tamen non parum  
**30** callent. Quid deinde? »Sed fieri non posse, inquit, existimo, ut Aristotelis documenta per tantam proprietatem et pravitatem verborum interpretis intelligantur.« Quid garris, si rebus callent? Quomodo Aristotelis documenta non intelligunt? Nam si fieri non potest, ut Aristotelis documenta per eos interpretes, qui hactenus exstiterunt, intelligantur,  
**35** quomodo rebus isti callent? Nemo enim umquam aut Graecus aut Latinus aut barbarus natura rerum callere aliquos sine Aristotele dixit. **G 44<sup>v</sup>** Tu rebus callere Latinos non negas, nec fieri posse contendis, ut Peripateticam doctrinam intelligant. Unde igitur rebus callere potuerunt? Dici non potest, quare nec pugnantia haec esse mentis compos ullus  
**40** negabit, nisi forte quispiam dicat rebus quidem istos a se ipsis callere nec Peripateticis quicquam percepisse, sed a se ipsis rerum scientiam

27 litterarum] Latinorum B

10 Theod. Probl. Praef.

invenisse. Cur ergo Aristotelem eis legendum, ut inde discant, proponit Cages, qui absque Aristotele rebus callent? An propter verba solum? At rerum, non verborum scientiam philosophia profitetur. Accedit, quod de Aristotelica rerum scientia sermo hic sibi est. Quare non alia  
 B 50 disciplina rerum callere Italos, quam Aristotelica sponte praedicat? 5  
 Statimque — verborum enim suorum sensum colligere nequit — ignorantissime atque stultissime addidit non posse fieri, ut per eos interpretes Aristoteles intelligatur.

33, 1 Multis iam ignorantia, impudentia, perfidia, temeritas amentiaque Caguleorum protracta in lucem est. Verum quoniam interpretatores 10  
 priscos quasi pecudes omnino spernit Cages, non gravabimur, quamvis finem adversus eum facere statuimus, unico exemplo, quod forte nunc occurrit, prae oculis, quam diligentissime in difficiliorebus rebus sequatur eos, quos spernit, omnium ponere, ut non verbis solum, sed et factis ex ignorantia et levitate sibi ipsi repugnare cognoscatur. Nam et 15  
 G 45 Caguleorum vitia hinc quoque patebunt, et nos nonnullam gratiarum, quas veteribus debemus translatoribus, partem persolvemus. Debemus autem eis non parum. Nam nisi ipsa traduxissent, iuniores apud Latinos philosophi non exstitissent, qui si non fuissent, nec nos, quantulumcumque sit, quod in philosophia sumus assecuti, teneremus. Fatemur 20  
 enim id totum a Latinis non sic habere, ut aliunde id habere impossibile fuerit. Nam philosophiae quidem fundamenta nemo prorsus citra ducentos annos apud Graecos nisi latinis doctus litteris tenuit. Nec modo, sed semper, ex quo aliquid percepi, sic me affectum erga ipsos esse  
 B 50<sup>v</sup> argumento illud est, quod etsi multa philosophiae nobis iam traducta 25  
 volumina sunt, numquam tamen verbum unum adversus ipsos scripsimus. Studium enim nobis acerrimum est non aliorum vituperationem, sed ad utilitatem communem nonnihil conferendo laudem quaerere.

2 Quas ob res dicenti breviter, quaeso, animum mentemque totam praebete. Quarto Aristoteles loco particulam de rebus venereis collocavit, 30  
 quam ipse in XXVII. perverse posuit. Huius particulae XXIX. problematis pars quaedam sic a veteri traducta interprete est: «Propter quod et quibusdam ventosorum piscium plyntri foetet mulier?» Cages sic sordibus suis obduxit potius, quam traduxit: «Unde etiam piscium spirabilium quorundam virus genitale plantrum redolet?» Quid faciam, 35  
 si in propulsanda iniuria defendendaque veritate meritas sibi gratias  
 G 45<sup>v</sup> reddo? Convitiatorem me dicent Cagulei, sin frigidus agam nec a me iniuriam propulsavero nec veritatem defendero. Sed dentur magis vela ventis, quam detrahantur, occurrentiaque iacto, ut dicitur, taxillo sequamur. Inaudita hominis istius ignorantia est, mirabilis et inusitata 40

38 vela] vella B

30 Arist. Probl. δ' 29. 880a sq. διὸ καὶ ἐνίοις τῶν πνευματικῶν ἰχθύων πλόντρον ἔχει ἡ γονή. | 34 Theod. Probl. IV 29. 426b (*falso cit.*)



hoc, si fidus est interpres, latine non retulit, sed omisit atque subticuit  
 G 46<sup>v</sup> sicut perfidus? Quia, si mulier omnis homo est, piscis nullus homo est.  
 Cur igitur, si et in hac parte mulier nominatur et problema de hominibus  
 est, ad pisces se retulit? Quia nihili in eo mentis est, ut res ipsae osten-  
 dunt. Ita modo rem pro re, quia non intelligit, ponendo, modo verba 5  
 B 52 latina depravando, nunc addendo, nunc aliquid relinquendo cuncta  
 pervertit et in alienum transfert sensum.

7 Sed dicet forsitan quispiam non esse possibile hominem, cum tra-  
 ducat, nihil relinquere, nihil addere. Nec id ignoro, et illud scio in tam  
 paucis verbis tam multa committere non erroris esse, sed ignorantiae 10  
 atque dementiae. Illud verbis, hoc rebus attribuo. Praeterea de addendo  
 relinquendoque regula quaedam teneri solet a doctis. Nam quae  
 historice dicuntur, iis si quis addidit, fidem historiae violavit, sin  
 omisit, non violavit. Brutus in ipso bello Philippico historiam Polybii  
 dicitur convertisse. Id tamen opus posteriores, quia multa perstrinxerat, 15  
 non traductionem, sed epitomam, id est compendium nominarunt. Quo  
 exemplo Poggius Florentinus, vir et parum doctus et summopere scelera-  
 tus, confidens, cum et paediam Cyri et aegyptiacam historiam Diodori  
 transferret, multa vel brevitatis vel fastidii fugiendi causa neglexit.  
 In quo quidem ipsum non vituperarim. Accedit, quod iis in rebus 20  
 necesse est nonnihil nunc addere, nunc omittere, quas ornate studemus  
 edere. Opus est enim, ut, si ornatiuscule volumus dicere, graecorum verbo-  
 rum ordinem omnino negligamus. Nam [si] a materna lingua in latinam,  
 G 47 quae proximae sunt, aut contra vertenti ordo verborum servandus  
 B 52<sup>v</sup> non est. Quod facile intelliget, qui periculum fecerit, quanto minus 25  
 in longius, multo remotis longius ordo verborum servandus erit.

8 Idcirco Hieronymus, ille vir doctrina, prudentia, sanctitate prae-  
 cipuus, divinas quidem scripturas ornatu verborum neglecto verbum  
 de verbo transtulit. Sermonibus vero indoctorum aut historiae rem,  
 non verba secutus et adiecit et subtraxit aliqua, quae tamen rebus 30  
 non derogant. Id ita factum sibi esse in traductione librorum Eusebii  
 de temporibus ipse praefatur. Cuius auctoritatem plurimi nos facientes  
 et ipsa rerum admoniti natura et pontificis Nicolai V. iudicio his in  
 rebus integerrimo iussuque compulsi in Aristotelicis quidem traducendis,  
 quantum fieri a nobis potuit, nihil praetermisimus, nihil addidimus, 35  
 ordinemque ipsum graecorum verborum ubique conati sumus inviola-  
 tum reddere. Minima enim tum propter magnitudinem rerum, tum  
 quia de rebus naturalibus documenta sunt, textus immutatio aut verbi  
 additio subtractiove longe in alienum saepe sensum universam rem  
 rapuit. In aliis vero maiore dicendi usi libertate nunc evagatiores, 40  
 nunc contractiores fuimus. Cagulei autem eandem in omnibus esse

14 historiam G hystoriam B | 16 epitomam] epitoma B | 17 Poggius] Poggius G B |  
 23 si G B | 27 Hieronymus] Hyeronimus B | 29 historiae G hystoria B

rationem putantes ipsi quidem maxime omnium Aristotelem pervertunt et crimen hoc suum in alios minus nocentes reiicere non erubescunt. Sed falluntur credentes vituperatione aliorum sordes suas abluere. B 53 Hanc igitur regulam in traducendo tenendam studiosis putamus, ut 5 graviora difficilioraque ad verbum de verbo paene reddant, historica G 47<sup>v</sup> et facilia latius angustiusve, sicuti iudicabunt, complectantur.

Nunc ad rem revertentes primum interpretatoris prisci, deinde Cagis eiusdem loci verba repetemus, postremo nostra ponemus, ut vel ex istius minimi collatione loci, quanta sint doctrina, quanto ingenio, 10 quanto usu dicendi Cagulei, perspiciatur. Prisca interpretatio huius loci haec est: »Propter quid et quibusdam ventosorum piscium plyntri foetet mulier?« Cagulea haec: »Unde et piscium spirabilium quorundam virus genitale plantrum redolet?« Nostra haec: »Ideo in nonnullis spiritum natis reddere piscinae, ubi lavatur, olet mulier?« Primum igitur 15 piscium pro piscina ignoranter positum ab eo est; deinde spirabilium omnino insulse; tertio virus genitale pro semine animalis inaudite; quarto virus genitale pro muliere scripsisse videtur — mulieris enim vocabulum omnino neglexit —; quinto plantrum nec integrum graecum est nec ullo modo latinum nec barbarum, sed Caguleum; sexto redolere 20 pro foetere magnus iste latinae linguae auctor ponit. Plura certe intolerabilia vitia quam verba sunt.

Nunc totum huius loci sensum explanabimus, si prius graeci verbi 10 potestatem exposuerimus. Plyntrum aut locus et vas ubi aut instru- B 53<sup>v</sup> mentum, quo lavatur, latine dici potest. Ideo piscinae — nam etiam 25 pro loco, ubi lavatur, hoc nomine usurpamus — a veteribus quoque traductum crediderim. Paratior enim semper sum ad excusandum viros probos, quam ad incusandum. Sensus autem hic est calida robustaque G 48 corpora spermate diutius retento, si ad spirandum, exhalandum evap- porandumque amplitudine pororum atque meatuum apta nataque sunt, 30 graviter olent. Spermatica enim superfluitas et quaecumque alia simul cum ea egreditur. In imbecillis quidem corporibus in alimentum vertitur. In robustioribus autem corrupta propter calorem expellentem meatuumque amplitudinem exhalat in spiritum versa, et sic virorum quidem corpora, hircorum praecipue atque ovilium reddunt olitum, 35 sicut ex . . . colligitur. Mulierum vero, ut hic dicitur, piscinae stagnantis, ubi res sordidae lavantur ac depurantur, foetorem emittunt. Cages autem nec, quia de hominibus problema est, nec, quia mulieris vocabulum hoc in loco ponitur, potuit propter ingenii hebetudinem detineri, quin rem totam ad pisces transferret. Talis enim ab ineptissimis 40 verbis eius sensus erumpit. Unde et genitale virus, id est semen nonnullorum piscium, quibus sicut aëre spiramus, plantri suavem reddit B 54

11 plyntri scripsi plynter G B | 28 exhalandum G exalandum B | 33 exhalat G exalat B | 35 G B aliqua desunt